IN PARENTALIBVS
SCIPIONIS
CLARAMONTII.



DOMINICI IOSEPHI
ROSINI
CAESENATIS
Doctoris Philosophi, & Medici
ORATIO
IN PARENTALIBVS
SCIPIONIS
CLARAMONTII
EQVITIS, DOCTORIS, ET SACERDOTIS
Nouorum in Mathematicis Dogmatizantium
Profligatoris Fortissimi.

Habita Cæsenæ in Templo Diui Francisci.



CÆSENÆ Apud Nerium. M.DC.LIII.

Superiorum permissu.

Eminentiſs. ac Reuerendiſs. Principi
S.R.E. CARD.
D·D·CAROLO ROSSETTO
FAVENTINORVM
EPISCOPO,
MOECENATI PRÆCLARISSIMO

Dominicus Ioſeph Roſinus
Doctor Phyſicus S.P.D.







VBLATO, vel translato hinc per obitum Scitione Claramontio ad diem Diuo Franciſco Aſsiſati dicatam proximè præteritam (Eminentiſsime, & Reuerendiſs. Princeps, ac Domine) parentalia celebrauere nobilia ſolemnia que Hyacinthus, Simonq; præclara tanti viri ſoboles. Obtigit autem mihi Ciuium omnium minimo verba in eis de tam Eximio facere ex eorundem electione; quorum fortè mens fuit, vt ex dicentis exigua facultate maxima appareret ſubiectæ materiæ facultas. Dixi inter cætera, oſtendiq; (quod non difficile fuit ex vitæ, & ſapientiæ ipſius cumulatiſsima dote) virum Iouem aliquem extitiſſe, effigiemue illius talem efformaui ex aduerſariorum eius ſpolijs, vel armorum manubijs ad tuenda pectora, capita, cruraq; Vitam nempe, Mentem, & Metum ab eis adhibitorum. Effigiem effinxi lucis, ſplendoris, tonitrui, ignis, fumi, fulgoris, fulminis productricem, iaculatricem. Ex aduerſariorum armis, inquam, ex Æthere ſu-

 premo,

premo perpurgato, ex aere ad suas dotes restituto, ex Syderibus vt olim, & semper manentibus, ex centro vniuersi non ammoto, ex Terra non mobili, atq; demum ex Paralaxibus, ex Refractionibus, ex Triangulis, ex Calculis, ex Demonstrationibus. AEmulari autem quoquomodo in hoc praestando opere mihi praescripsi Spurium Caruilium statuarium quondam praestantissimum, quem & dudum alterum eiusdem Iouis Colossum efformasse similis industria ministerio, testis est Plinius libro 34. cap. 7. Hac, vtq; pro viribus praestiti. Caeterum duo adbuc à me exigi videbantur, vt tanto artifici parallela facerem, exemploq; responderem. Vt Iouis videlicet statuam huiusmodi Capitolio sacrarem alicui: nec non vt & mei ipsius ex lima, quam adhibui, reliquijs statuam conflarem, qua ante pedes simulacri adponeretur eius. Praestat autem Plinium ipsum de re loquentem audire. Fecit, *inquit*, & Sp. Caruilius Iouem, qui est in Capitolio, victis Samnitibus sacra lege pugnantibus, e pectoralibus eorum ocreiq; & galeis. Reliquijs limae suam statuam fecit, quae est ante pedes simulacri eius. *Hac modo praestare molior, satagoue; si prius dixero repugnantes, victosq; ab Ioue meo fortissimos aduersarios, non ex Samnio, sed ex Insana, non Samnios, sed Insanos extitisse nouatores, atq; ex lege pugnantes sacra in eo sensu, in quo Virgilius dixit.*

.... Auri sacra fames
Quid non mortalia pectora cogis?

En igitur Scipionis Iouis facti statuam hanc talem Summae Eminentiae tuae Capitolio dico, sacro, nuncupoue. Capitolium namq; nullum, neq; maius, neque verius assurgit, & affulget in Vrbe, & Orbe, quam ROSSETI Principis Cardinalis mens cor, pectus fortissima. Arx ipse munitissima septem es collium: dignitati tuae terminant quicunq; hoc auo inter Christi fideles ducuntur triumphi. Capitolium ex humano

capite

capite recenti sanguine resperso, dum templi fundamenta ibi excauarentur, adinuento dictum ferunt Historici. Ex capite ipse tuo Capitolium es, diceris\ue, qui dum templorum sacra, & intaminata religionis fundamenta in Anglia perpurgares antiqua, & reponere Apostolicus administer molireris; martyrio te non defuisse, sed tibi martyrium, celebriter in comperto est. Hæc tua est Purpura, Eminentissime, tuum hoc ostrum, hæc tua tessera Cardinalatus; aliò, & aliò assiscant alij, & alij; tua fuit Britania Tyrus, tua Sydon: ostrum, conchilium, murex tinctura tua, carceres intentati, patibula, quibus mox, mox rapiendus postulabaris, perquirebaris intrepidè inuictus, fide, prudentiaq; fortis: Canes, Caluiniani, Puritana feritas, Parlamentaria seditio, rebellio, perfidia. Capitolio igitur tuo Colossum hunc Claramontij Iouis statuo, cum & ipse viuens, ne Iupiter absq; Halaete suo esset, super opus suum de Vniuerso Aquilarum tuarum alas Coloniæ voluerit expansas. Ex reliquijs porrò limæ à mè adhibitæ in eo perficiendo statuam condo, rapræsentoq; meam, & ante pedes simulacri in hac eadem oratione contenti pono. Pusillam, humilem, poplite, & ore flexam ex limaturis, ex proiectitijs, ex scoria, recrementisq; conflatam conspice, mihiue Capitolium te, ac refugij collem, & arcem futuræ tuitionis, & protectionis (quod enixissimè efflagito) esse concede. Sic te Deus sospitet aliquando ex Capitolinis in Vaticana mutatum cacumina Beatum, Sanctumq; Patrem. Vale.



DOMINICI IOSEPHI ROSINI ORATIO IN FVNERE SCIPIONIS CLARAMONTII.



1 DECVIT quidem, vt ita fieret (Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Præſul, Illuſtriſsimi Conſeruatores, Doctiſſimi Viri, Nobiliſſima cæterorum corona) in obitu heu præpropero, tametſi vitæ penè nonagenariæ, ſapientiſſimi virorum, illum huc aſcendere ad fletus veſtros aſſociandos, qui nihil vltra, quam lachrimas ſubſtantiam ſuam tranſmittere poſſet. Quippè quiſnam eſt, qui neſciat, Roſas in planctum abire ab inſtillabulo, ſi de infrà ardens exquoquat ignis? Roſas porrò purpureas Gentilium meorum cognomen facere, propriumq; ſtemma ipſas proloqui; atq; animorum veſtrorum amores tenerrimos, charitatemq; præclaram in vita functum præſtantiſſimum ciuem prunas ardentiſſimas eſſe, nemo eſt, qui non cognoſcat; certè inſtillabulum diſtillatorium, roſtra iſta ex ſe ſe pandunt ipſa. Subijcite, ſubijcite, Præſtantiſſimi, ardentes cordium

dium

dium transmissiones vestrorum, in planctum ipse orationem deriuabo meam. Parentamus optimo Ciui, Doctori inclyto, Sacerdoti venerabili, Patri Patriæ, Scientiarum Magistro, Scipioni Claramontio nostro, parentamus. Heu Scipionis parentamus: heu Claramontio parentamus: heu nostro parentamus. Ego quidem in tam vasto dicendorum pelago classi orationis meæ habenas immissurus, lachrimas, ita fari compellor. Parentamus Nostro (ordior à postremis, à proximioribus) Nostro. Cui nostro? Nostro Origine, Ortu, Educatione, Vita, Laboribus, Amore, Operibus, Obitu.

2 Heu parentamus Nostro, Origine. Origine quidem, dum ab extremis, vsq; Dominici Malatestę Nouelli Principis annis huc appulsa Claramontia gens ab Insubrico solo, & inde à Transalpinis sedibus, benignèq; suscepta inter Ciues, atq; inter Patricios deinceps, ducentorum iam penè annorum iurè possessionis nostra facta est, tã clara, tam præstans, vt viros omni ætate, vel literarum, vel Militię, vel Ecclesiasticorum munerum insignibus cum præcipuis vndequaq; enumerandos dederit. Bene per eosdies huc appulsa gens; quando Dominicus Princeps Francisco Diuo Bibliothecam condebat insignem ad Minoritanos hos, vt aduentatis inquilinis istis literarium instrueret armamentarium, in quo athletæ fortes exercerentur perennes, & indefessi, fierentq; Maiores: quando Nouellus Ædes exædificabat sacras Catharinæ Virgini, & Martyri Reginæ, Virgini Annunciatæ extra portam Sanctæ Crucis, Crucifixoq; Deo cum nosocomio ad stratam intus; quasi Prodromus, & quasi præiens nouellis incolis ad eas, quas annorum decursu Diuino Philippo Nerio ipsi extructuri essent: quando deficiente iam Vicariorum impotentia nobili, Sedes Apostolica ipsa maturabat, præmebat que in vetera

tera iura legitimam reuersionem, & malis capitibus, bona capita substituere Cœlum benignè moliebatur; vt scilicet Paulo Secundo pontificante, Cęsenamq; suam integri iuris, factiq; sibi adiungente, prima huiusmodi gentis origo Simon Claramontius in Simonis Petri Beatissimi Ecclesiasticum Principatum transiret subditus, cuius fortassis aliquando in terris nepotibus de summo throno ius ipsum contingeret perscripsisse.

3 Sed, & nostro parentamus, Ortu: quippe quem fortunato propemodum sydere Claramontio Philosopho, & Medico Patri edidit Genitrix lectissima Polissena, quem sacra lauit vnda ad Præcursoris Baptistæ summum vrbis templum Episcopante Ciuibus Odoardo Gualando, annò sexagesimo quinto prælapsi sæculi ad decimum kal. Iulias. Quis vero diuinam in hisce temporum articulis non admiretur, non adoret Prouidentiam ad magnalia promouenda, in cuius omnimodè manu sunt sortes, & tempora nostra? Erat is annus secundus reformati omninò Orbis Christiani post Orthodoxę Tridentinę Oecumenicæ Synodi absolutionem: Erat is dies Diuorum Albani, Pauliniq; dicata martyrio; quorum iste Nolę Episcopus ex nobilissimo, & opulentissimo factus pro Christo pauper, & humilis, quod supererat, se ipsum, quoq; pro redimendo viduæ filio in seruitutem dedit Vandalis Campaniam deuastantibus; alter verò tempore Diocletiani sæuissimi pro Clerico hospite, quem susceperat, se ipsum tradens, post dira tormenta capite plecti obtinuit. Animaduertite Auditores, & obstupescite, perpendite, & veneramini, quæ ex anno, quæ ex die tanti ortus præsagiebantur, præsignabantur implenda. Ritè, ritè cum exordio reformationis ipso editur infans Scipio, qui intra nouem annorum penè decades in se vno reformationem omnem explere debebat omnis omnimo-

nimodè ſtatus, Laicalis, Filialis, Scholaſtici, Maritalis, Paterni, Doctoralis, Æqueſtris, Senatorij, Vidualis, Sacerdotalis, quod & abundè præſtitiſſe, vos, vos ipſos teſtes exceptione omni appello maiores. Ritè, ritè cum Albani, cum Paulini ſacra luce editur, qui & ipſum ſemet clericum dedit, & liberos quatuor in ſtrictiſſimo Cappucinorum Patrum Dogmate ſeruos, non Vandalis, ſed Chriſto, non pro vno vnius Viduę, ſed pro deuiatis omnibus Eccleſiæ ſponſæ filijs iuuandis, redimendis, præcium, commutationem quæ, pro quanto in eis erat, tradidit, & obſides.

4 Educatione, quoq; parentamus noſtro. Quando quidem non inter eos enumerari paſſus eſt, qui dum huc, illucq; diſcurrunt apud exteros, atq; diuturniore ſiue genij parum ſtabilis, firmiq; ductu, ſiue curioſitatis incaleſcentis ſtimulo facilè in alienos tranſeunt, tranſmigrantq; mores, & ſenſim à patriæ gentis, ſiue legibus, ſiue conſuetudine declinantes proprio in ciues amori præiudicant, vel conuerſationem illorum moroſi reſpuunt, vel faſtidioſi contemnunt, vel turgidè admittũt nimis. Scipio ſub parentum nobili diſciplina, ſub humanioris literaturæ didaſcalis educari permiſit, adoleſcentiamq; ingredi iuxta illas accomode formas, quæ noſtris omninò regionibus conformæ eſſe comperirentur. Atq; hinc conualuit beneuolentia in patriam illa, & in Conciues eximia, qua eius exarſiſſe præcordia longa ætas mille innumeris que poſtmodum declarauit operibus, & conteſtata eſt. Antecedebat forti ſexdecim annorum curriculo ſolem hunc ab orientis ianua iam excluſum Sol alter, ò Cæſena tuus, atq; veluti gigas ad currendam viam, mediam iam properabat Ecliticam, quam mox tenuit glorioſam, lucens, ardenſq; Iacobus noſter ille Mazzonius, ò Patres, portentum illud, inquam, eruditionis reconditioris, vaſtiſſimæq; monſtrum illud memo-

mo-

moriæ: hunc versari, hunc tenere, hunc fouere, foueriq; attactu velut adamas vicissim adamantem ille. Hoc inuisse visus est Iacobus in de Comparatione Platonis, & Aristotelis sectione quarta circa finem, dum exarauit ingenuè, *Hanc quidem Aristotelis defensionem sugessit nobis doctissimus, & eruditissimus iuuenis Eques Scipio Claramontius concinis meus*; adeo vt super semita gloriæ eorum alter alteri laterans, nulla medietate fracti, vestro semper, Patrij ò Penates, indeficienter fulgeatis Sole.

5 Porrò nostro parentamus & Vita. Vitam etenim suam vniuersam, & eius, quem nostis, periodi, vestris voluit dicatam, addictam commodis, & beneficio. Innumeros quidem procos habuit Principes viros quà honoribus, quà præmijs, illius eximia captos doctrina, scientiarumq; thesauris illum allicientes, præstolantesq; Sed si quas illas excipiamus potius excursiones, quà immorationes, & statiua, quibus, & Serenissimos Estenses Principes excoluisse Mathematicus, & Consiliarius Ducalis admisit circa principatus administrandi iura; & quibus regiam Mediceorum excoluit celeberrimę Pisanę Vniuersitatis de prima cathedra Philosophus aliquot annis (pauco eo tempore hic non animaduerso, quo iuuenis Perusiam incoluit, & Ferrariam) vtiq; reliquam temporis, quo vitali contigit aura frui, ciuium suorum voluit esse. Valere Romanos colles, valere alpinas Taurinenses proritationes, valere Patauinum bouem, Bononienses cathedras, Aristocraticos Venetos, Insubramq; Papiam, quin, & Lutetiam Parisiorum ipsam dixit, fixit omninò valere, non auri, non auræ cupidus, maiorq; fuit philosophici pectoris robur, quam dominantium sceptra, & exedris præualuit sedile domesticum, atq; peruicit, & thronos, studiorum addictus quieti, familiæ intentus, decus ciuile colens tantum

pro

pro dignitate. Semel dicam; octuaginta octo annorum linea vitæ in partes secta ipsas, ad octo dedit exteris, tibi octuaginta donauit, ò Patria. Noster profectò, noster vita: vita, qua viuimus coæuis, qua viuimus posteritati.

6 Laboribus pariter nostro. Vitam dedit nobis suam non desidem, non flacidam, non elumbem, non elinguem, non elanguidam; sed vtilem, sed præciosam laboribus. Quos porrò labores dedit? Maxumos, Herculeos, Scipioneos, iuges, perpetes, inclitos, perifrugiferos. Iuuenis insonuit de Gymnasio, Vir intonuit de Senatu, Senior ingemuit de Ecclesia, Philosophus, Senator, Sacerdos, vbiq; ex præcipuis præcipuus. Domus eius athletarum arena, semper patens Gymnasium, Senatus, Ecclesia. Labores ibi versabantur, agebantur rationabiles, scientifici. Mathematicum puluerem, Philosophicum Peripatetum, Sanctuariam probitatem colligebant, particebantur, imbibebant accedentes. Qui functi fato Vincentius Masinus, Pandulphus Iseus Comites, Sylla Vicedominus, Cyrus Fontana, Attilius, & Cæsar Aldigati, alijq; permulti (vt viuos prætercam) hinc Mathematicas notiones, Opticam, Perspectiuam, Machinatricem, Horologiarem, Arithmeticam, Gnomonicam, Captotricam ad satietatem hausere. Laborauit publicæ commoditati, paci, annonæ, fabricis, pietati, religioni. Eius laborum sunt Diui Caroli Borrhomei Societas erecta, templum inchoatum: eius Sodalitium Virginis Matris de Succursu: eius suggestionum Diui Protectoris Seueri Ecclesiæ instauratio, duplexque lipsanarum translatio. Innumera se se mihi offerunt laborum eius, in quibus se circumuolit enixè. Sed Amor labores propellit, laborum ignarus Amor.

7 Amor eius in patriam (noster est Amore) post Deum primas habuit in potentijs eius Intellectu, Memoria, Volun-

luntate. Amor Senam antiquam Gallorum Senonum Regiam eandem Cæsenam sugessit, docuit, euicit; Amor Rubiconem tutatus est nostratem: Amor Historiam patriam texuit: Amor Offuscatorum Academiam fundauit. O' fundationem, ò texturam, ò tutellam, ò sugestionem. Amor illum omnibus omnia fecit. Verum in Ægiptiorum canum morem cogor ipse vastas Nili huius vndas lambendo vixdum præterire currens. Lubet ex illius met verbis potionem hanc libare suauissimam. *Commentarios*, inquit ipse in nuncupatoria voluminis Historiarum ad Senatum, Populumq; Cæsenatem, *Commentarios hos rerum vestrarum multa cura, magna diligentia scripsi. Plura opera ad scientias attinentia edidi, ex quibus, si qua mihi laus oboriretur, vt in vos recideret, curaui. In ciuilibus munijs, officijsq; per annos vndesexaginta, ex quo munera publica attigi operam meam magna fide præstiti. Attamen profiteor obligationibus erga vos meis nunquam planè satisfecisse. Plura sunt, quæ debeo, quam vt ea æquare officijs meis valeam.* Amorem hoc pacto suum in ciues suos delineabat ipse, ab cuius facibus faces tot, tantæque in alijs acensæ sunt ad commune totius non modo Ciuitatis, sed & Prouinciæ, sed & orbis commodum, atq; delitias.

8 Hinc & operibus nostrum illum agnoscimus, veneramurq; Sed & quæ nam sunt hæc opera ò Patres? Opera quæ non modo digna, vt celtæ sculpantur in silice, digna, vt erectis viro statuis, vel columnis, cænotaphijsue posteritati demandentur, sed & dignissima, quæ in animarum vrbanarum substantiam, tanquam tabulis insigantur, perennis, felicisq; vitę deriuanda vna nobiscum, transportandaq; sæculis. Iam non memorabo quot ille itinerum, viarumq; spatia dimensus est ad Principes Legatos, & Præsides Prouinciæ, & exteros pro arduis, quibusq; dirimendis, & componen-

nendis: Iam præteribo quot absorbuit incommoda pluuiarum, niuium, algoris, & æstus, quotue vicibus ad Romanam accessit Apostolicam sedem, quot adijt summos pro tempore assumptos Pontifices obedientiam, communeque debitum exhibiturus obsequium, atq; illa depræcaturus, quæ ciuium iuuarent fortunas, & fidem. Percucurri, percurramq; in dicendis adhuc actorum eius summa quædam capita tantum, ex quibus nostrum illum operibus extitisse patebit. Vnum hoc loci admirabile dicam, illum operibus ita euasisse nostrum, vt non modo in ciuitatem collimarint propria illius opera, sed & aliorum quoq; ex ciuibus, plurimum in quibus, & promeruisse dicendus est. Opera hæc vobis in memoriam reuoco, Auditores, Adolescentiam inanientem Thomæ Palatij, Albores poeticos Dominici Pulazzini, Diuos Egeæ Martires Simonis Claramontij, Panegiricos Dominici Berti, Melpomenem Offuscatam, Herminetronq; Ioannis Baptistæ Ambroni, Iosephi Præpositi Responsiones Historica sacras Legales ad Paroletum, Bernardini Manzonij Inquisitoris Senam Sacram, Senamque Regia Cronologicam Camilli Lancetti Magistri Collectionem pro Diuo Mantio Cæsenate, Antonij Albertini Regentis Minoritæ Politicum Præsidem Ioannis Andreæ Salicis pentausiam Politicam Francisci Fabrani Persicum Pomum vt interim prætercam Abbatis Patrui mei notissimas. Interpositiones clarissimasq; Galaxias. Hæc edita, aliaq; varia tot, tantorumque illustrium ciuium adhuc ædenda ab vno hoc nostro suas quodammodo sumpsisse origines quis non fateatur? Profectò nisi Cæsenatem Historiam Scipio euulgaset Offuscatorum si Conuentus erectus non extitisset, nulla nobis horum affulgenda fuisse probabilissimum est. Occasio viros facit, iunctimq; apposita vicissim acuuntur ingenia. Excitatus

tatus quidem, propositusq; Academiæ instituendæ punctus in domesticis collocutionibus, & in priuatis prælibationibus Simonis Claramontij, Belmontis Belmontij tunc Prætoris, Abbatis Visitatorisq; Rosini, vim, roburq; in Scipionis amplexibus, & approbatione indeptus est, in fæturam mox, & in partum erupit Offuscati Senatus, paucis illum enitentibus, sed genitore potissimum vno illo existente, à quo & deinceps optimas indeptus est leges, & nomen, & stemma. Nostro igitur operibus, & proprijs, & alienis parentamus.

9 Sed & demum Obitu, heu, parentamus nostro. Heu, heu, Auditores, obitus noster est, non eius. Abijt ille, non obijt. Nos obijsse dicendi sumus, qui nubibus obtegimur, qui tenebris offundimur, qui labimur in maceriam. Abijt ipse ad fæliciora; abijt in tempore suo, longæuus super terram, diues filiorum mentis, & corporis; soboles pia, soboles erudita, soboles tanto genitore dignissima. Abijt ad feliciora perpete inter nos vsus valetudine bona, effectus, & ipsa æquissimarum regularum vitæ, quas sibi ab iuuentute præscriptas in praxim ad extrema vsq; vitæ momenta deduxisse voluit, & quarum ope ad decem vsque vniuscuiusq; diei horas studijs dare adhuc fermè nonagenarius potuit. Obiectum vobis præscribite, & obstupescite, senem tantum nullo sensuum, nullo membrorum laborantem vitio in singulas noctes medias ex ignitabulo, & scilice lucernam accendentem, ne seruis adhuc grauis fieret, vel incommodo, nullas hymeis intemperies apprehendentem, vt veritates scientiarum iam apprehensas alijs apprehendendas calamo propinaret eruditissimo. Obiectum vobis præscribite, & obstupescite. Obiecta interim ego vobis dabo maiora, si Claramontium discutiam, quia & Nostro parentamus, & Claramontio parentamus.

10 Inclaruit adeo, inclarescetq; magis in dies in Orbe Litterario vniuerso cognomen istud, vt nullæ iam sint Vniuersitates, Gymnasia, nulla in quibus Claramontius non personet, quibus (si quispiam profitentium & alumnorum in eis est, qui tantum nesciat) vitio non detur Claramontium ignorasse. Siue Galli, siue Hispani, siue Poloni, siue Lusitâni, siue Angli Claramontium inclamant, Claramontin obuiant, Claramontium ambiunt, Antarticorum vsq; Indorum ora Claramontium peruolutant, Claramontio pectora, mentes, calamos implent. Parisiensis, Salamanticensis, Cracouiensis, Conimbricensis, Oxoniensis, Mexicana, Goensis, Vniuersitates de Claramontij doctrina, scriptisque disquirere, differere opus sibi præscribunt, prouintiamq; faciunt. Præclariores vero in hoc obeundo partes agunt Fortes Germani, Olandij, Sueui, Dani, vtpotè illi, quorum scriptoribus præcipuus aduersari, quorum oppugnare, expugnare Mathematica, Astronomica scripta gloriosora pro veritate Claramontius habuit, atq; ad virium normam enixus est fortunatè. Sileo autem Italos tanquam domesticos, remq; agentes propriam, quorum licet Claramontium reso nent Academiæ; minus tamen est, (quamuis plurimum conferant) quod ipsæ præstant, quamquod exteræ, siue quia ab exteris cadunt in Mathematicis, & Astronomicis profitendis, siue quia remotioribus magis afficiuntur Itali, quam proximioribus, neq; nisi post diuturniora tempora consentiunt in suis communi voto prouehendis. Iam vero vndenam tanta Claramontij oriatur claritudo, quibusue ex scatebris thesaurus is famæ, gloriæq; tam grandis deriuet in torrentes, & flumina inspiciamus, Auditores.

11 Intentos volo vos rebus, tametsi vobis patentibus: Tria sunt, quæ fæderatas iunxere manus in hoc opere perficien-

ficiendo, Cœlum nempè, Terraq; (Macrocosmi extrema duo corpora, extimum, intimumue) & Religio doctrinæ viri, siue Religionis viri doctrina. Cœlum corpoream quidem machinam esse, sed quintæ cuiusdam essentiæ, longè diuersam ab quatuor elementorum primis corporibus, & consequenter ab eorum mixtis quibusq; inferioribus, tam viuentibus, quam vita carentibus vniuersa statuit antiquitas, communisq; omnium ferè hominum consensus. Idem Cœlum ingenerabile, incoruptibileq; atq; inalterabile, & peregrinarum nullarum susceptiuum impressionum & semper ipsummet permanens tenuit, docuitque omnium prorsus bene sentientium Philosophorum schola, Peripatetica præsertim mea, & Platonica, & quot quot ante, & post Platonem, Aristotilem que floruere ritè Sapientes, quibus, & assensere gentium vniuersarum Astronomi, Mathematiciue, necnon & quicunq; non dissipere seriò iudicati sunt: Anaxagoras nempe, Democritus, Hippocrates Chius, Æschilus, Pitagoriciq; nonnulli, quos Peripateticus deiecit Dæmon: atq; iste Orbis vniuersi sensus extitit per septem millium annorum ab eius creatione curricula. Iam verò quod circa nostra hæc contingat tempora, accipite.

12 Scinduntur certè firmata, ritè tradita, sapienter edocta ista. Hæresis Astronomica Mathematica indicitur, inducitur, euulgatur. Ab insulis Germanici maris Danus vir inter Dynastas regionis inclytus Tycho Brahæ, hoc est nouus huius sæculi Athlas, nouus Archita, Archimedes nouus, Auctor, publicator, roborator noui dogmatis est. Is præpotens ingenio, mentisq; profundæ excogitatus diues, locuplexque natalium splendore, ac Dani Regis gratia, ærarioq; florens, & præualidus Vraniburgum arcem construit, in ea Globos vtrosq; maximos Cœlum

Terramue repræsentantes exquisitissimè, spheras, quadrantes, radios, annulos armillares, machinas quasq; iam inuentis ab scientificis anteactis, denuoq; à se excogitatas, vel ad perfectum adductas excitat, & erigit, atq; ad centum vsq; aureorum millia (vt fertur) generosè, munificeq; in huiusmodi instrumentorum expendit suppellectile. Ea inter, & eo loci colligit se se, abditq; cœlestium motuum, phenomenorumue in dies occurentium obseruator strenuus, iugis, indefessus, pernox, & perdius, fœdere adhuc compacto cum Vilelmo Hassiæ Principe Lantgrauio Casellis idem profitente, & cum alijs hinc inde pluribus illustribus Astronomicarum rerum obseruatoribus. Post annos dehinc plures cuduntur Progysmnasmata, eduntur Epistolæ, vulgantut obseruationes: Cœlum generabile, & corruptibile, peregrinarum susceptiuum impressionum edicitur, edocetur: nouas in eo, stellas noua sidera gigni comentatur: Cometas superlunares, cœlestes esse affirmatur: Martis, Veneris motus emendatur: vniuersa Mathesis, cuncta Astronomia sursum, deorsum voluitur: Peripatum confunditur. Tota penè Scientiarum Æconomia dissoluitur: Sacrę demum ipsi Religioni consequentia præiuditia inuehuntur. In vnam quasi legionem, in vnum velut exercitum coeunt ex illis regionibus eadem reboantes, eadem repetentes Ainzelij, Buschij, Benedictij, Camerarij, Clauij, Deslinij, Digessei, Fienij, Fromondij, Frangipanij, Gemmæ, Graminei, Hagetij, Maurolici, Mestilinij, Munosij, Nolthij, Peucerij, Raimundi, Rothmanni, Sculteti, Schulerij, Santinij, Valerij, Vogelinij, Vesiklerij. Hinc penè seducta terrarum vbiq; Gimnasia dant quasi manus opifici tanto; obseruatoribus tam variis, atq; de vetere doctrinarum statu sensim sic labitur Orbis.

Hisce

13 Hisce huiusmodi machinis expugnato iam Cęlo, deq; creata cum eo pulchritudine, venustate, puritate, simplicitateq; intaminata per filios terræ Gigantes tantos iam labanti, dum Diuorum, hoc est Literatorum, cæteri sub diuersis abditi fugiunt formis, quisnam, ò Patres, se opponit Iupiter? In Lemnæi specus modum reboant Optica, Geometria, Arithmetica, Trigonometria. Sub Vulcano Euclide, non claudo, non crurícuruo, sed rectipede Sterops, Brontes, Pyragmon, Regiomontanus nempe, Alazenus, Vitelion personant, ressonant, ferrum, Lapidem, Æs, Aurum, Argentum, Calibem, Flamas, Adamantem in vnam aggerant, miscentq; massam, cudunt, percutiunt super incuda, in fulmina trisulca, linguata formant, tondent, & acuunt. Claramontius tonat Iupiter (hic Senam nostram summa AEthera factam, in Empirea mutatam cacumina cernite, Auditores) Claramontius tonat, Claramontius fulgurat, Claramontius fulminat omnimode solus. Lux, splendor, tonitru, ignis, fumus, fulmen, vno eodemq; temporis momento æduntur, audiuntur, percutiunt, feriunt, exterminant. Ab vnius Antitythonis volumine per calcographos euulgato hæc operantur penè diuina. Paralaxes, Paralaxium differentiæ, Refractiones, Loca vera, Loca visa, Triangulorum Sphericorum, itemq; Planorum mira contractatio, grandis inuectio, Indagines acutissimæ, emunctissimæ, exquisiti laboris, & diligentiæ prostrauere, pessundauere, irrita facere dogmata noua; Solam viuere, solam vigere Demonstrationem docuere: hac sartatecta nihil ob probabilitatem innouare Mathesim. Quare non ne hinc apageis stupor, Auditores? non ne abscedet admiratio, vnde nam tanta Claramontij Cognominis claritas, & amplitudo? Euomuere quidem post hæc fumos, fauillasque Ioannes

Keplerus, Fortunius Licetus, Camillus Gloriosus, Nicolaus Blancanus; sed in Typhæi, Enceladi, Ophionis, Ephialtisq; modum in Hiperaspiste, & alijs operibus proprijs adinuenere sepulcrum, quasi Prochytam, AEthnam, Encusam, Inarimen. Quid Cęlum contulerit Claramontij claritati iam tenetis, Senones mei. Quid vero Terra, amodo aspicite.

14 Terram quatuor primorum simplitium corporum Elementorum infimius corpus, crassius, ac ponderosius possidere, & esse totius mundialis machinæ centrum, quasi reliquorum fæcem, & cum ea, vel post eam Aquam, deinceps Aerem, Ignemq; suis contenta spheris, atq; circa hæc totius cælestis machinæ Orbes errantium planetarum, inter quos mediam sedem Sol teneat, & super eos reliquas peripherias ad Empiream, vsq; summitatem: Terram insuper ipsam immobilem, cætera motibus cieri varijs, docuit præciosa antiquitas, & penè per manus in posteros deriuauit ministerio potiorum, meliorumq; Philosophica, & Astronomica profitentium. Ita magnus naturæ scriniarius Aristoteles, atq; post eum Claudius Ptolomæus AEgiptius Astronomorum, Cosmographorumque facilè Princeps, à quo & positio hæc sis stematis Ptolemaici nomen indepta est, atq; communis ita gentium ferè omnium totiusq; Orbis consensus. Verum enimuero sub atauorum nostrorum diebus Nicolaus Copernicus acutissimi alioqui ingenij, profundæque scientię Mathematicus, & Astronomus quasi ab Orco excitans, & innouans antiquam, obsoletam, rancidam, euanidamq; Philolai opinionem pro viribus artis innouare tentauit, Mundi centrum nempè posside re Solem immobilem, non Terram; Terramq: mobilem esse, & reliquas inter superiores ab Sole spheras locum tenere, ac velocissimo motu, peneq; ad

sen-

ſenſum imperceptibili cieri. Irritotamen prorſus conamine rē aggreſſus eſt, quandoquidem nemo fuit ſolide doctus, qui huiuſmodi admittere nenias ex profeſſo elegerit; quin & ipſe Poſitioni tali probabilitatem, non neceſſitatem fecit.

15 Proxima nobis interim tempora, tempora nouitatum apparuere. Perſpicillaris Tubus, quem Teleſcopium dicunt in Orbem inuehitur, Inuentore, vel Perfectore demum (ſi Diuis placet) Galileo Galileo Mathematicarum Scientiarum Patauij tunc profeſſore. Inuehitur vtique communi hominum generis plauſu, iugiq; applicatione ad obiecta quam maxime ab oculis diſtantia videnda, & minutatim percipienda. Huius miniſterio opificij quatuor nouæ ſtellæ Iouis ſatellites, Saturnus Tricorporeus, Venus falcata diſcooperiuntur, & notificantur, Viæ lacteæ, Macularum Solis, Partium in Lunæ corpore rugoſarum, nubiloſarumq; quiditates, res anterioribus omnibus ignotæ, occultæ, non apparentes ætatibus, panduntur, exaltantur, celebrantur, ſiue offucias, & præſtigia inſtrumento tali producente propter improportionatam omninò eius materiæ qualitatem, ſiue quacumque alia ex cauſa adhuc minus patente, ſiue tandem diſpoſitionis veritate ſupernorum illorum corporum ſic ſe habente. Hæc autem, & alia huiuſmodi non pauca plauſibilia ſpiritum Inuentoris celeberrimi rerum nouarum iugiter cupidi, in illiſq; inueniendis, & exaltandis ſemper intenti, & ſtudioſiſſimè ipſas enitentis adeo inflauere, erexereq; vt ſicut plurium præclarè excogitatorum, ſcientificèq; digeſtorum Theorematum, & voluminum lætari potuit repertor, & auctor felix extitiſſe; ita tandem (prout miſera noſtræ humanitatis fert conditio) earundem nouitatum amore, perditè deflexerit in Copernicano Siſtemate aduerſus Ptolemaicum innouando, reparando, protegendo, & exaltando, hoc eſt in

Terræ mobilitate afferenda, & ftabilienda tanto nixu, tantoq; rationum hinc inde ab ipfo recenter inductarum, vel apparentium pondere, vt plurimos omnis Europæ omnis generis viros, neque ignobiles, neq; alioqui ineruditos, fecum in idem fentiendum quafi quadam contagione fiue fophiftica, fiue fcientifica (vt rarebantur) attraxerit.

16 Moueri motu velociffimo terram circa Solem: Solem mundi centrum ftare ftabilitate perpetua immobilem, Galilei Galilei innouatum Dogma eft, non iam probabilitatem, vt Copernicanum, fed neceffitatem inferens, & pro poffe indicens. Fama, clarufq; viri rumor conciliat Pofitioni animos auditorum. lectorumq; itaut præiudicati quodamodo accedant, quicunq; Pofitioni accedunt affequendæ. Scientiarum hinc reliquarum nexus delumbatur, decutitur, deneċtitur: nutat Peripatum, ruit Platonifmus, necnon Trifmegiftica, Orphicaq; Sophia; & Sacrofancta Religio ipfa (quod potiffimum refert) non vnis fubfternitur præiudicijs, diuinorumq; Codicum auctoritas oblocutionibus vanitatum, nouatorumq; ac perperam dogmatizantium dentibus fcindenda fubijcitur. Abfona hæc radicem fenfim figere fapientiores quique bene colligunt, & dolent; fed dum priuatis congreffionibus abijs, qui præfunt in vrbe examinantur, & cribrantur fræquentiore confultatione; nullus eft, qui palam, & cordatè tantæ irruptioni agerem opponat, viroq; nouatori claritate nominis præpotenti, & clientelarum, atque fequacibus difcipulis firma obijciat fcientificæ mentis pectora. O' Nofter, ò Claramontie, Tu, Tu primus, Tu, Tu præcipuus in arenam defcendis, rationum, demonftrationumq; firmiffimarum ex Mathematicis, & ex Phificis penetralibus acie collecta affociatus, valatus, roboratus;

ratus; TuTu, Apologia edita ad Anti Tichonem tuum, ad tuos tres libros de Tribus nouis prætensis Stellis tutandos Galileum ita vexas, ita cingis, ita feris, & de acriuia Mathematica lapsum, Triangulos minores duobus angulis rectis constituentem, centumq, talia committentem ita sternis, vt illum tandem gloriosè triumphes. Permanet tuo Terra patrocinio Immobilis, & in æternum stat centrum Vniuersi, Sol medio suo inter errantia sydera loco girat, & splendescit.

17 Restituuntur tanti nostri ministerio, Auditores, Adę filij in scientiarum semitam. Ægyptius Ptolomeus, Stagyrites Aristoteles gloriæ Capitolium ascendunt; Religio perseuerat intaminata, & per sacros Fidei Quesitores Galileus ad antiquas Pisas relegatur salutaribus curatus disciplinis; Et quidem adeo fortè certamen nonnisi summum Philosophum, summumq; Mathematicum exigebat antagonistam, qui de duorum horum altera cæcidisset summitate, neque congressui aptus, neque victoriæ apparuisset: munia vtraq; Claramontius impleuit gloriosè. Philolaum interim antiquum reuocat ab orco, vel saltem tali se ornat nomine laruatus Gallus nescio quispiam, eandemq; Galilei crambem recoquit; sed Antiphilolao per Claramontium euulgato abigitur adeo stationario pede, vt illud prorsus hic benè cadat, quod cecinit ille.

Occidit miseros crambe repetita magistros.

Ita hæc talia, ita hæc tanta sunt, quæ Cœlum, quæ Tellus, quæ religiosa viri scientia sanctis iuncta fœderibus (ò quot quot adestis hicce, ò quot quot in orbe) in Claramontij cognominis contulere propagationem, & decus, dum sicut scholas audimus Tychonianorum, Galileistarumq; audiamus & pariter Claramontistarum, atq; cum fœnore personare Gymnasia, Vniuersitates oppleri, disci-

pulis,

pulis, & ſequacibus hinc, inde veritatis inda gines expiſcantibus.

18 Iam verò quod ſupereſt, parentamus, Patres Scipioni: heù Noſtro, heù Claramontio, heù Scipioni, heù, heù, eheu. Nomine quoq; ipſo memorias excitat, exercet noſtràs, & in obitu, & poſt obitum adhuc proficimus. Scipio baculus ſenectutis noſtræ, cui ſenes nimium Senones innitentes gradum ſtabiliant ſuum: Scipio, qui quoniam Patriam luminibus orbatam ſuis vice Scipionis rexit, meritò id nomininis eſt ſortitus: Scipio Scipiones in ſe vno quatuor celeberrimos, Publium Africanum maiorem, Lucium Scipionem fratrem Aſiaticum, Scipionem Æmilianum, qui & Africanus minor, Scipionemq; Naſicam Corculum, in ſe vno epilogans, & continens omnes. Sed hora labens anguſtias mi agit, ne tantum cum tantis comparatione facta, habitiſq; parallelis, tantis quoq; maiorem Scipionem tantum fateamini. Anacefaleoſim, compendium accipite Monoculum Barchinum Imperatorem, Vitium, acie virtutum inſtructa in ſcientijs, & moribus ſuperauit: poſt ſæculorum clades, ſtricto calami gladio, omnes adegit vos, vt in patria antiquorum Senonum Regia defendenda aſſentiretis cum Publio primo Tyconem non Antiochum, nouorum, in Mathematicis dogmatizantium Principem Regem, Cœlorum regionibus trans Lunam, quas cometis perperam tradiderat in habitandas, mulctatum triumphauit cum Lucio ſecundo. Militem Mathematicum corruptum eiectis ſcortis innouatarum opinionum in diſciplinam priſtinam reſtituit: Diuum munera ſibi immiſſa, & pro tribunali ſcientifico excepta, in tabulas publicas propriorum voluminum, literariæq; Reipublicæ nomine, fortibus Aſtronomis pro merito diſtribuēda reddidit: Numantiam Copernicani, Galileani Syſtematis deleuit, Cartaginem, & Byrſam Tyco-

niani

niani Placiti sustulit euertitq; cum Æmiliano tertio. Senatu vt Hyacinthum filium Iurisconsultum optimum substitueret, se abdicauit: templo Philippi Nerij sanctissimi nomini proprijs expensis construsto vir optimus communi omnium opinione dignissimus iudicatus est, qui Diuorum Reginam veram veri Dei Matrem Purissimam Mariam hospicio exciperet cum Nasica quarto. O' Scipionem ò Publium, ò Lucium, ò Æmilianum, ò Nasicam innouatum.

19 Immoremur super hoc vno tantisper, abscedant cætera, Domini, si placet. Qui octuagesimum annum liberorum fœcunditate, & conditione felix in matrimonio excesserat, Virginia de Abbatibus vxore lectissima, sanguinis, virtutumq; claritate probatissimis quibusq; comparanda orbatur. Hinc sublimiora mentę concipiens, & attingens, perfectioniq; melioris status adspirans, quasi de alterius ducenda vitæ periodo securus, sacerdotio ritè initiatur Petro Bonauentura Sancto Antistite nostro inaugurante. O dignam digno viro dignitatem. Hanc pertractare exorsus, vt populo simplici frugi esset, qui tum vsq; doctis extiterat, Sacerdotes compares suadet, colligit, qui vna secum Oratorij Congregationem constituant, seq; in proximorum curanda salute sacrorum omnium ministerio dicatos velint. Ecclesiam Diuo Philippo suæ, nam alienæ stipis erigit ære, Aras struit, & exornat incruentum quotidianum sacrificium offert, panem verbi frangit, vel pubica lectione librorum spiritus, vel piorum sociorum vnifotmi labore. Sed fugit sermo viuorum horum propalam facere merita. Qui adhuc laicus, & iuuenis inter alia scientiarum genera sibi corrogata ex decem Theologiæ generibus, quatuor percucurrerat, Scripturalem Sacram, Diuinamq; vtriusq; Testamenti paginam: Scholasticam Petri Lombardi, Thomistarum, Scotistarumque: Positiuam Sanctorum Patruum, Conciliorum,

& De-

& Decretorum, & Polemicam Controuerſiarum cum Hæ-reticis; Clericali adſcriptus militiæ cætera ſex reliqua exercuit praxi: Moralem, Caſuum conſcientiæ: Paræneticam, Homiliarum, & Concionum: Cathecheticam, Catechiſmi tradendi: Miſticam Meditationum, & Præcum: Aſceticam librorum Spiritualium, & Eſemplarem vitæ Ieſus Saluatoris, Virginis Matris, Sanctorumq; ac Beatorum omnium.

20 In hiſce miſcendis campum fortiſſimus athleta octo perpetes tenuit annos ea operum feracitate, quæ admirabilis appareret. Ante primum diluculum ſurgebat ad orationem, ad ſtudia; ſole ſublimius traducto, Eccleſiæ ſe dabat. diuinis operatis exedram Sacramenti auricularis ad horas, & horas cunctæ promiſcui generis plebi, vel piè altè legebat, vel hortamenta præbebat virtutum, vel inuehebat in vitia. Actuum horum nullus erat, quem non aſpergeret lachrymis, quem non aſſociaret ſuſpirio, adeoq; procliuis illis fundendis erat, vt non modo piæ mentis teneritudinem exprimeret, ſed & donum lachrymarium ſortitum deſuper, & Sancti amoris ardore viſcera eius conflagrantia dignoſcerentur. Tam pij tam cogniti, tam clari, ſenij ne dixerim, an decrepitatis? ſpectaculo occurrebat frequenti pede, & corde populus quidem; verum, & exterorum non defuere plures ordinis cuiuſque, qui ad eadem inſpicienda ſæpius diuerterent, ſummèq; ædificati inde digrederentur. O Scipio, ò Claramontie, ò Noſter. Aat quodnam eſt, quod cerno? Tè tantæ fortitudinis virum aggreſſum? Tè inuictum lecto decumbentem? Tè proſtratum, Tè ſublatum, Tè ſepulchro, Tè terrè datum? O verè mortiferum Adæ peccatum, ò neceſſariò vocatos ò equiſſimè datos planctus, ò ſuſpiria.

21 Adeſt, Auditores, quinta Idarum Octobris nefaſta dies, Scipionem mors aggreditur, ſternitq; cunctis Sanctę

Ma-

Matris Ecclesiæ munitum Sacramentis inter pias adiuuantium Sacerdotum, filiorumq; manus. Volens, lubens, ac lætus, de eaq; familiaribus agens colloquijs, & horas signans, ac attoma, debitum id ipsæ vniuersæ carnis soluit, cui soluendo se tantis parauerat præteritis, & præsentibus munieratue præsidijs. Vna hic mecum, quæso, mentes, oculosq; de fletibus attolite: singularia quædam temporis momenta perpendite, mysteria propè dixerim, certè signa, & gratias nonnisi de diuinæ prouidentiæ beneficio contingentes. Quinta hæc Idarum Octobriarum dies Seraphici Assisiatis Christiformis, Stigmatizati Francisci peruigilium erat. Vtiq; dabatur, operabatur desuper, vt qui Francisco strictissime colendo Filios quatuor sacrauerat Cappucinos verè virtutis sequaces, & antesignanos, ijsdem orantibus. Franciscum quoq; extremo sub illo puncto sibi experiretur adesse patronum, retributoremq; atq; dies, in qua obierat ille, præsentiam, patronatum, retributionemq; præferret, & festa eius solemnitas festum illi aperiret æternitatis. O Diuos semper fortunatissimè cultos.

22 Ad horam noctis secundam migratio accidit tanta; eademq; fermè ipsa hora super Isapis flumine menijs Ciuitatis penè iuncto qua Bononiam pergitur, arcus alter ex quinq; nobilis lapidei pontis strepitu, boatuque valido discindebatur, & in profluentes decidebat vndas die Diui Ecclesiæ Doctoris Hieronymi obitu sacra. In nocte, in tenebris relinquebamur omnes: tuus, ò Cesena, abibat summus Doctor: tuus quo ad gloriam pergebas, discindebatur pons: tanta decebant pronostica, tot comitantes, tot adiacentes ruinæ. A plurima vsq; die in pluuias, ita difluebat Æter, vt vindemiæ, quæ apud te vberes, defecatæ, dulcissimæ, celeres, celebrari assueuerant, valido conterminorum emptorum concursu vinarias oplentium cellas suas nectare tuo, in dissolu-

solutionem penè abierint, & in nihilum; in malum certè. Hæc oportuit fieri prorsus ad infelicitatis tuæ prænuncium. Plorabant Æthera, quę intaminata Scipio tutatus fuerat: pręcipitabat in lachrymas Aer, cui iura restituerat super potiore Metheorologico suo, Comete, continendo, vt nobis pręiret in eodē prę̄oando ffetus munere. Deficiebat, dissoluebatur, ò Patria, nectar tuum satis mage verum, quam antiquorum Nectar, Ambrosiaq; Diuum. Nectar, quo non finitimę gētes, sed & vniuersę terrę inhabitātes, docti satiabātur, dulcorabantur, cum vino Claramōtię doctrinalis vindemię tuę redūdabant torcularia typographica Cęsenate, Venetū, Florentinum, Mutinense, Coloniense; Parisiense, Bononiense; Antuerpianum, Leidanum, Amsterodamense ab ijs enim omnibus exiere ad viginti quinq; vsq; diuersorum volumina Scipionis operum Philosophica, Mathematica, Astronomica, Moralia, Politica, vt interim pręterea, quę reliquit cudenda, satis superq; plura Sophię pręsertim de moribus ad Medicam animorum methodum concinata.

23 Hic finem, Auditores, imponam, vbi finis non agnoscitur, si vnam vnius adhuc tabulę grandis lineam apposuero, Appellis, Protogenisq; omnis picturæ principium, lineam secantiū tenuissimam, ęmulationis eruditissimę opus, exemplum innouando. Esto, Cęsena, Rhodus, hoc est rosarum Ciuitas, sunt Protogenes Appellesq; tui, Iacobus Mazzonius, Scipioq; Claramontius; ò quodnam eruditionis omnis Principium par. Grandis tabula, Scibile quodcunque, Linea Defensio est. Defendit ille, tutatur iste: ille Dantem Florentinum, idest poetarum Italicorum Theologum, iste Aristotelem Stagiritem Ptolomeumque Alexandrinum; summos nempe Cęlestis machinę, Naturęuè Scriniarios. Tutella illius, Inferis perpetuo plexis, Purgantibus spei bonę implendis, Glorificatisq; pręmia

iam

iam assecutis per descriptionem extenditur. Patronatu isto-rum ętheris regionibus Athlas nouus, Alcides secundus detegitur, Abissis ipsis Terrę immobilibus impenetrabili-bus Vlisses alter, Pius alter Æneas datur. Horum quisnam in linea vicerit ducenda iudicate, Sapientissimi.

24 Qui in lachrymis fui, qui lachrymas hucusq; associa-ui debitas, per hęc iam ad gaudia vos compello. Gaudent vt piè speramus in Empyreis isti Gaudium illic, hicue sunt vestrum, tametsi translati, Corona sunt vestra; Gaudea-tis, & vos in terris: Altaria tenete, preces efundite: Rosę distillant lachrymas, sed odoras. Extrema luctus gaudium occupat.

FINIS.

Celsus Abbas Rosinus Lateranen.

Scipioni Claramontio
Per Mathesim, per Sophiam
Pristinis iuribus fortiter restitutas
Orbi notissimo
Lapidem hunc
Mortalis Exuuij Operculum,
Immortalis Famæ Tesseram
Mathesis Sophia
D.

Eiusdem.

Scipioni Claramontio
Monarchiæ Orbis Scientiarum Archonti
Idearum Mathematicalium Secretiori Ærario
Cælorum Doctrinalium supremæ Peripheriæ
Admirando Enciclopediæ Enciclopedi
Eruditionis Athenabi peplo
Immortalitati euolato
Pictis Ethica
P.

Eiuſdem.

SCIPIONIS CLARAMONTII

Tropheum.

Terra Immobilis Quietem cineri.
Cælum Cometis inacceſſum Ingreſſum Spiritui
Ponunt.
Antegoniſtis ſuperatis
Triumphans ingredere
Scipio.

Eiuſdem.

Rex Senonum Brennus,
Rex Doctrinarum Scipio
Regiam te Senam Patriam
Ad Iſapim ad Rubiconem
Statuere.
Vtri maiora debeas
Vide.
Camillos vtriq; habuere aduerſarios.
Alter Aurum ponderans
Furium illum Romanum victorem paſſus eſt;
Alter Aurum, & Auram ſpernens
Glorioſum hunc Naepolitem victum obtinuit.
Capitolium cæleſte recipit Scipionem,
Terreſtrè reiecit Brennum,
Victus, & victor Inclyti ambo,
Ambo Reges.

Eiuſ-

Eiuſdem.

Fiſtularinſpectores,
Arundininſpicillantes,
Cannoculariſtæ,
Teleſcopantes Nouatores
Tabulares Aſtronomi.
Linceiſtæ Dogmatizantes
Brahiſtæ Obſeruatores
Terræmobiliſtę Vertiginoſi
Adeſte.
Scipio Claramontius
Maxumus ille veſtrum Triumphator
Abijt.
Quod terreſtre poſſedit,
Quieſcere hic voluit,
Qui pro quiete Terræ ſtetit;
Quod diuinum habuit,
Ad Cælos tranſmittit ad Sydera,
Pro qnorum intaminato ſtetit honore.
Diſcite quietem vtrobiq;
Mortale in Telluris viſcere,
Immortale in Empireo ſedibus
Quieſcunt.

Magister Fr. Leonardus Valentinus Augustinianus Scipioni Claramontio immortalitate dignissimo, Magistro olim de se optimè priuatè, & publicè merito inferias calamo soluebat.

EPITAPHIVM PRIMVM

HOSPES
Terra Tegit Terram
Si qua fuit in Scipione Claramontio
Sapientum maximo, bonorum Optimo.
Cuius Immortale
Empyrio Receptum
Ridet, deridet nostras cogitationes,
Vtres vento plenos, & bullas inanes;
Et eo nos aduocat
Quo non pertingunt amentes mundi amantes
Hospes abi,
Et disce deberi cælo cælestia.



SCI-

SCIPIONI CLARAMONTIO
Bono rei literariæ nato,
Cui Arist. & Euclides
Præripuerunt ne es-
set primus optimus
Philosophus, nec
Primus optimus
Mathematicus;
Istis ille præripu-
it, ne essent soli.
At illi laudantur vbi
Non sunt, vbi sunt cremantur:
Scipio vbi est lætatur; vbi non est laudatur.



Hoſpes
Hic re-
quieſcunt
cineres
Scipionis
Claramontij
Qui duo, qui ſeptem, qui
Totum naturæ, matheſis ſcibile
Sciuit. Deus eſto illi lenis
Terra eſto
illi leuis.
Hoſpes vale,
& bene prȩca
re memoriæ
Clariſs. viri,
Qui piè vixit
Sagatus, Togatus
Maritus, Sacerdos,
Qui piè obijt annos
Natus duo de nonaginta
Anno ſalutis M. DC. LIIV. Non. Octob.

SCI-

SCIPIONI CLARAMONTIO
Cælites
Exaudite me ab alto vſque Empyrio.
Audite SENAM ſenem ſine Scipione
Merentem, fugentem, labentem.
Venit ad vos ingens anima, anima grandis.
Scipionis Claramontij
Cui
Patria debet quid quid decoris,
Quid quid pietatis habet.
Vos illam excipite, vos illi aſſurgite
Æmulanti vos, inſigniaq; veſtra facta
Vos DIVI, purpurati P.P. Præſules Doct. Equit.
Quos Patria, in Patriam tranſmiſit,
Obuiam prodite
Conciui, Equiti, Doctori Sacerdoti
Maximo ſplendidiſſimo, ſapientiſſimo optimo.
Tu Mazzoni
Lauda, & dic in veſtro Conuentu ad vos veniſse
Virum ſupra hominem,
Quem vidiſse erudiri fuerat, quia audiebatur,
Dum videbatur.
Qui fecit ſcribenda, ſcripſit facienda.
Ouos tanto contubernali lętos.
Ome orbitatis, & luctus imaginem
Hæc & alia Cæſena quiritabat lacrymabūda V.non.octob.
Anno atro, Die nefaſto.



Famigeratissimo Heroi Equiti

SCIPIONI CLARAMONTIO.

Inuertice omnium Mathesium fulgentissimo Assidenti
Charites, & Apollo
Ipse
Inter Sæua huius Sæculi Armorum fulgetra Germanus
Verè Tremegistus

Sacerdos	Sophus	Astronomus
Pientissimus	Sapientissimus	Doctissimus

Parens

Concionatorum	Iuris Peritorum	Poetarum

Senæ Gallorum, nunc Cæsenæ

Patritius	Senator	Historiographus
Nobilissimus	Vigilantissimus	Dissertissimus

Ac totus Veritati Addictus

Introductor	Fundator	Instructor

Congregat. Oratorij Academiæ Offuscator. Bonar. Artium
Duplici e Suggestu Diuinas, ac Humanas Disciplinas

Suggessit	Digessit:
Deuios	Rudes
Reduxit	Edocuit

Ipsius
Eutrapeleæ Ingenium in tot Eruditissimis Monumentis
Publici Iuris factis, exteri admirantur, nos Veneramur
Pe-

Pectore Chalybeato, Aureo Calamo Velitationes, ac Aduersariorum. Blatterantium ictus deluxit, atque deflexit.

Tandem Annis, Meritis Onustus aeterea Petijt

O' linguae | O' Aures
Pangite | Audite

Preclarissimi Herois Elogia

Venerandus Corpore languido Obsequentissimus
Seruus
Franciscus Fabranus
Academicae Offuscatorum Alumnus
Dicabat.



Eius-

Eiuſdem Abbatis Roſini.

In funere SCIPIONIS CLARAMONTII

Miſpedh, Trenus, Lamentum.

Ah,
Heu,
In mortem
Scipionis
Claramontij
Nonagenarij;
Hunc
Modo
A'nobis
Abeuntem
Aſsocientur
Lachrimæ, ploratus.
Iam
Noſtra
Flumina
Ricon, Sapis
Pede fluido
Accreſcant, ditentur.
Det
Aer
De ſinu
Suſpiria~
Præpotentia
Tonitru, Boatus.
Ah,
Heu,
In mortem.
Pons
Ipſe~
Inſignis
Sublabentis
Vberis vndæ
Frangaturq; cadat.

Sic
Echo
Fructent
Velociter
Specus, & antra
Montium noſtrorum
Des
Paſſim
Garampe
Spacian~
Voces perruptas
Fortiter gementes.
Tum
Omnes
In preceps
Catheractim
De ſummo campo
Pluuiæ labantur.
Plus
Valles
Videam
Defecata
Mauri Victoris
Muſta proiecifse~:
Ah,
Heu,
In Mortem.
Vel
Cælum
Sedes ſit
Scipionis
Claramontij
Nonagenarij

Ah
Benè,
Ah, amen.

Eiuſ-

Eiusdem Abbatis Rosini.

In funere

SCIPIONIS CLARAMONTII

Triumphus.

Io
Musæ,
Triumphus
Pergat velox,
Et ordinatè
Hisce solemnis.
Cur
Currum
Scipio
Tibi ducit
Immortalitas
Nominis, Famæ.
Hic
Magni
Dæmonis
Stagiritæ
Theses profundę
Veniunt Theatro.
Ab
Vna
Mathesi
Confringuntur.
Thelescopia
Decipientia.
Io
Musæ
Triumphus.
Et
Falsi
Bondinus
Macchiauellus,
Gubernatores
Laquenti pede.

Mox
Adsunt
Dogmata
Copernici
Grandis Mafsoui
Ligata cathenis.
Quin
Ligur
Doctuplex
Fortunius
Sine fortuna
Commeat pedester
Vah
Illi,
Keplerus,
Galileus
Capti ducuntur,
Vel orbe mirante.
Vh
Alij
Reliqui
Sectatores
Agunt cathernam
Innumerabilem.
Io
Musæ,
Triumphus.
Rex
Brennus
Præfulgens,
Senonesq;
Magni parentes
Comitantur adhuc

Io
Musæ.
Triumphus.

Eius-

Eiusdem Abbatis Rossini

In funere

SCIPIONIS CLARAMONTII

Neenia.

Flue dolenti
Valles per imas
Rubicon Pede.
Gradum Isapis
Contine nec tu
Claudo meatu.
Funeri tanto
Gemens vterque;
Veniat vterque.
Scipio noster
Abijt, heu,
Scipio noster.
Rubicon sedem
Tenes si primam;
Huius est donum.
Flue dolenti
Valles per imas
Rubicon pede.
Sapis quod sapis
Ab hoc sciente
Sapere tene.
Gradum Isapis
Contine nec tu
Claudo meatu
Ab neuis nouis
Cælum tutatus;
Fit Cælo dignus
Funeri tanto
Gemens vterque;
Veniat vterque
Terram Immotam
Perpetim stare
Tutè defendit.
Scipio noster
Abijt, heu,
Scipio noster.
Brene Rex magne;
Senones Patres
Propere venite.
Flue dolenti
Valles per imas
Rubicon pede.
Vos pridem dedit
Auræ vitali
Iterum nouandæ;
Gradum Isapis
Contine nec tu
Claudo meatu.
Iura Regnorum
Veniat tenere
Ritè qui auet.
Funeri tanto
Gemens vterque;
Veniat vterq;
Veniat sibi
Methodum qui vult
Dari doctrinæ.
Scipio noster
Abijt, heu,
Scipio noster.

Eiusdem.

In funere

SCIPIONIS CLARAMONTII

Opera in patriam præclarè gesta.

Ode I.

Claramontius Scipio noster,
Nobis dudum tanquam Pater
Abijt, heu: doleamus.
Memoremus quæ tam clara,
Quæ tam digna, tam perrara
